



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christianae. III. Manuctio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 16. Alia Oratio ad eundem

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

virtutes & merita, ac pios affectus erga te, dulcissimè Jesu, in venerabili Sacramento existentem: firmissimæ nimirum fidei, & vivæ apprehensionis earum rerum, quæ de hoc maximo mysterio credendæ sunt: perfectissimæ charitatis, & intimæ tecum familiaritatis: famis & flagrantissimi desiderii te omne bonum suscipiendi: filialis fiduciæ & spei de tua misericordia tam mirabili modo declarata: zeli divinæ gloriæ & dilectionis proximi, pro cujus salute hoc sacrificium offertur: admirationis tantæ dignationis, & profundissimæ humilitatis: gaudii & jubili in te & de te: laudis gratitudinis, adorationis, & devotionis. hos inquam, aliosque affectus offero tibi in supplementum insufficientiæ meæ, & eos si possem elicerem cum maxima intensiōe ad laudem & gloriam tuam quia dignus es. Suscipe Domine, hoc desiderium meum, meritisque placatus electorum tuorum, ne à mensa tua repellas me, quatenus hoc cibo satiatus, hoc recreatus potu vitam habeam, & abundantius habeam, hic & in æternum. Amen.

§. XVI. *Alia Oratio ad eundem.*

Veni, Domine Jesu, unica salus animæ meæ & infunde pectori meo multitudinem dulcedinis tuæ, ut nihil amem, nihil desiderem præter te. Veni gaudium & felicitas mea, veni spes & robur meum quia tecum sunt divitiæ & gloria tu vita & consolatio mea, tu paradisus voluptatis. Atque utinam te veniente ad me, vertantur mihi in amaritudinem omnes mundi deliciæ, ut tibi unitus in hoc cælesti convivio à te nunquam separer in æternum. Frustra expenderem argentum meum non in panibus, & laborem meum non in saturitate, licet omnes Ægypti escas compararem, si carerem hoc pane, qui præbet delicias Regibus, & vino tuo destitutus essem, cujus suavitas in infinitum excedit omnia hujus seculi oblectamenta. Et unde mihi tantum bonum, ut tecum epulati merear, Rex tremen-

dæ majestatis, ego indignissimus servus tuus, qui quotidie pecco & incorrigibilis persevero? Sed major est in infinitum misericordia tua, quam miseria mea: & tu dulcissima refectio mea me in virum alterum transformas, & verbo virtutis tuæ sanas omnes languores meos. Ad te igitur venio de tua pietate confusus, & in te sperans non confundar. Lætifica animam servi tui, & supple quod mihi deest, tu benignissime Salvator, qui omnes ad te vocare dignatus es dicens, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Refice me te ipso, quia in te sunt omnes cæli delicie ex copiosissimo flumine gaudiorum Dei cum tanta plenitudine emanantes, ut omnes dignè ad te accedentes inexplicabili lætitia replere possint. Uni intimè tecum animam meam, & fac me dignum, ut huic mensæ supercælesti cum debito virtutum ornatu affideam, & dulcedine perfruar præsentis Divinitatis. Amen.

§. XVII. *Oratio ad Spiritum Sanctum.*

Veni Sancte Spiritus, amor Patris & Filii, mundator scelerum, curator vulnerum, fortitudo fragilium, mœrentium consolator, fulgor intellectus, & vindex libertatis. Veni è patria felicitatis, & cordis mei penetralibus tam potenter illabere, ut vitia omnia & defectus tuo igne consumas, & omnia peccata mea remittas. Emitte in animam meam lucis tuæ radium, quo illuminante intellectum, quæ tibi sunt placita videam: quo affectum inflammante ad ea prosequenda tota virtute incumbam. Fac me dignum sacris altaribus ministrum, meque torrente tuæ voluptatis inebria, ut cælesti suavitate in hac divinissima mensa degustata, nihil venenatæ mundi dulcedinis libeat amplius degustare. Imbuat me & perficiat septiformis Spiritus tuus, & ad illum scientiæ gradum fac me pertingere, ad quem pervenit Apostolus tuus, cum dicebat se nihil scire, nisi Christum & hunc crucifixum. Roboretur